



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

C A P. X.

Non est explicabile, quanta, sapientissimis virorum optimorum præceptis, morum commutatio in me contigerit. Namq; ex elato ac tumido, jam demissus atq; humilis, ex iracundo mitis, ex cupido moderatus videbar esse: cœperam odio habere, quæ antea diligebam; & amare, quæ oderam. Tum primum omnes res humanas, intrinsecus quales essent, aspexi, & suis eas præciis æstimare didici. Nam, quæ mihi pro certis atque perpetuis se venditabant, tanquam fluxas atque caducas cœpi contemnere, ac pro nihilo ducere. Tum quoque sensi, quam miserum & amarum esset, post cupiditates suas incedere, & carnis desideria perficere; ex contrario, quam suave atque jucundum, te summum bonum & incommutabile persequi. Discedebam à mensa dulcissimi corporis tui, non ut antea, inanis atque famelicus, sed saginatus ac refertus spirituali dulcedine. quæ mihi adeo rerum carnalium gustum ademerat, ut solus earum aspectus stomachum excuteret. Tum primum intellexi, quid esset, spiritu ambulare; quod antea aberat à cognitione mea longissime.

C A P. XI.

Quamobrem nihil propius est factum, quam ut, spretis ac repudiatis rebus omnibus, cuiuspiam religiosorum hominum familiæ nomē darent; neq; deerant, qui me ad id hortarentur atq; impellerent: sed continuit me tum ætas matris meæ, tum res nostra familiaris, indiligentia fratris mei ad extremum fere casum adducta; quæ si meo etiam auxilio destituta jaceret, ad inter-

ne-